



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XVII. De sermone, quem habuit ad primitiuam suam Ecclesiam cum ab ea
discederet in eodem loco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

De sermone, quem habuit ad primitiuam
suam Ecclesiam, cum ab ea discede-
ret, in eodem loco.

CAPVT XVII.

Sermon.
2. Cor. II.
Sermo S. Otho-
nis ad Parisi-
enses.

Fratres, æmulor vos Dei æmulatione. Voe-
nim omnes, qui in presentiarum ad me audien-
dum conuenistis, & me docente, Christo credi-
distis, & Christiani facti estis, vna in Domino
Ecclesia estis dispensati per fidem Domino meo IESU Christo;
vna, inquam, vos omnes Ecclesia estis, vna & vnica sponsa
Domini mei Iesu Christi: quia, vniuersali Ecclesia per fidem
incorporati estis, Sed quia ego per eius gratiam huius vestra
desponsationis auctor esse videor, nam ego & vni viro despon-
di vos Virginem castam exhibere Christi: hinc est, quod
æmulor vos, non tamen qualibet, sed æmulatione Dei.
nam & mala æmulatio esse potest, iuxta illud Apostoli; sunt
quidam, qui æmulantur vos non bene: æmulari autem
est velle indignari; licet, pro, imitari, nonnunquam positum
inueniatur; ut est; æmulamini charismata meliora. Volo
autem vobis indignari, & paratus vobis indignari, quod pri-
dē dixi, æmulor vos: quia sine tristitia & indignatione fer-
re non possum, nec potero, si, quod absit, ad iniuriam Domini
mei Iesu, cui per fidem vos despondi, cum Diis alienis vos de-
nuo contaminare volueritis. Hoc enim est fornicationis ge-
nus, quod maxime separat à Deo.

Fratres intendite; Ecce, omnes in Christo baptizati
estis, & omnes Christum induistis; originalium & actua-
lium peccatorum indulgentiam accepistis ab ipso, mundi-
stis & sancti, non per nos, sed per eum mundati & sanctifica-
ti; quia

1. Cor. 7.

Gal. 4.

1. Cor. 13.

2. Cor. 11.

Gal. 3.

ti; quia ipse in sanguine suo lauit peccata mundi. Nolite ergo iterum inquinare vos cultura idolorum. Nam hac est immunditia, qua omnino Deus offenditur, & penitus separatur à Deo: Nolite vos prostituere corruptoribus, & immundis spiritibus: Soli Deo creatori vestro, nulli autem creatura diuinum exhibete honorem: ne indignatio eius & furor veniat super vos: Sed magis in fide, spe, & charitate proficite, ut benedictio eius veniat super vos, & super filios vestros, & ut ei credentes, & fidem operibus exornantes, vitam habeatis in nomine ipsius, qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen suum. Certi enim esse & nullatenus dubitare debetis, quia si hanc, in qua hodie positi estis, innocentiam & sanctificationem, ipsius adiutorio seruare usque in finem vite vestra studueritis, non solum mortem euadetis aeternam, sed etiam gaudium regni caelestis possidebitis in aeternum.

*Cohortatio ad
Constantiam
in fide.*

Io. 5.

1. Pet. 2.

Iob. 7.

*Septem Sacra-
menta.*

Sed quia vita praesens sine peccatis duci non potest; lucta enim & tentatio est vita hominis super terram, discessurus à vobis, trado vobis, quae tradita sunt nobis à Domino, arram fidei sancta inter vos & Deum, septem videlicet Sacramenta Ecclesiae, quasi septem significatiua dona sancti Spiritus, quibus utendo in laboribus & certamine huius vite non deficere, sed proficere vestra possit Ecclesia, suosque defectus reficere. Videte ergo & tenete, & ut scia- tis, diligenter enumerate, quae tradidimus vobis, discedentes à vobis.

Primum ergo Sacramentum est, quo iam imbuti estis, Baptismus. sacrosanctus baptismus. Hoc Sacramentum, fratres mei, ab hinc & semper tenere, & venerari debetis, & paruulis vestris opportuno tempore, scilicet in Sabbato sancto Pascha ac Pentecostes, per manus Sacerdotum, tradere debetis, certissi-

i me

mè scientes, quod quicumq; sine illo de hac vita migrauerit, & regno Dei carebit, & insuper maledicti originalis pœnas luctu æternas.

Confirmatio.

Secundum Sacramentum est Confirmatio, id est, unctio chrisimatis in fronte. Hoc Sacramentum victuris est necessarium, videlicet, ut Spiritus sancti corroboratione muniantur, si armentur contra omnes tentationes, & nequitas vite presentis pugnaturi. Non autem vsque in senectam differendum est, ut quidam putant, sed in ipsius adolescentia feruore percipiendum, quia illa ætas magis obnoxia est tentationibus.

Extrema Unctio.

Tertium Sacramentum est unctio infirmorum, quod idem morituris est necessarium; quia in illa unctioe per Virtutem Spiritus sancti remissio datur peccatorum, & ipse, qui moriturus est, contra spiriuales nequitas, id est, contra malignos spiritus in exitu vite animabus insidiantes eadem Spiritus sancti virtute pugnaturus armatur. Hoc omni Christiano in agone mortis ardentissimè desiderandum & deuotissimè percipiendum est, utpote remedium anima certissimum.

Eucharistia.

Quartum Sacramentum est corpus & sanguis Domini. Hoc Sacramentum victuris & morituris est necessarium, siue viuimus, siue morimur, hoc viatico semper est utendum. Est enim cibus anima verus, vitam in se habens æternam. Vnde frequenter missæ celebranda sunt, & vos ad easdem deuotè conuenire debetis, ut sapius huic viatico communicetis. Quod si non potestis, quia carnalis estis, huic tam sanctissima rei per vos ad omnes Missas participari, saltem per mediatorem vestrum, scilicet Sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reuerenter & deuotè Missas audiendo communicate. Oportet tamen & vos ipsos ter vel quater in anno, si
amplius

amplius fieri non potest, & confessionem facere, atq; ipsi Sacramento communicare,

Quintum Sacramentum est, per Pœnitentiam reconci- Pœnitentiæ
liatio lapsorum, id est, ipsorum, qui post baptismum, propter
graviore culpas, ab Ecclesia proiecti, satisfactione pœniten-
tia iterum ei reformantur. Et hoc Sacramentum quasi mala-
gma & recuperatio est cadentium in pugna & vulnerato-
rum.

Sextum Sacramentum est coniugium, id est, copula ma- Matrimonium
rimonialis. Quinque autem Sacramenta superiora, quasi ge-
neralia sunt, & omni Christiano necessaria. Istud autem,
quasi particulare est, quia, non omnibus necessarium est, sed
eis tantum, qui se continere non possunt. Et sicut ad superio-
ra Sacramenta omnes homines trahendi sunt & inuitandi:
ita nullus ad hoc trahendus, vel inuitandus est, nisi qui, ut di-
ctum est, se non continent, sed vago & illicito concubitu sese
polluunt & commaculant. His enim suadendum est, ut infir-
mitati suæ honestiori subueniant remedio. Vos autem, qui us-
que ad hæc tempora non Christiani, sed pagani fuistis, Sacra-
mentum coniugij non habuistis: quia fidem vni toro non ser-
uastis, sed qui voluistis, plures habuistis uxores, quod dein-
ceps vobis non licebit: sed vnus vir vnâ tantum habere
debet uxorem, & vna vnum: quod amplius est, à malo est. Si
quis ergò in vobis est, qui plures habuerat uxores ante bap-
tismum, nunc vnâ de illis, qua sibi magis placet, eligat, dimis-
sitq; aliis, hanc solam habeat, ritu Christiano. Et partus, in-
quit femineos, audio, quia vos, ô mulieres, necare consuevistis:
quod, quantum abominationis habeat, exprimi sermone non
potest. Videte, si hoc vel bruta animalia faciant fœtibus suis.
Parricidium hoc non fiat modò in vobis, quia, sine grauissimo
pœnitentiâ dimitti non potest. siue igitur sit masculus, siue
i 2 femi-

femina, diligenter nutrite partus vestros. Dei enim est & marem procreare, & feminam.

Ordo.

Septimum itaque Sacramentum est Ordinatio siue consecratio Clericorum; quod & ipsum particulare est, & non generale. quia, non omni homini necessarium: quamuis enim omnes homines indigeant Clericis, non tamen est necessarium, omnes homines fieri Clericos. Ad ipsum tamen Sacramentum, qui moribus & scientiâ magis idonei sunt, inuitandi sunt potius, quàm, trahendi. Vnde, adhortor vos & inuito, quia cogere non debeo, ut de liberis vestris ad Clericatum tradatis liberatibus studiis prius diligenter instructos, ut ipsi per vos, sicut alia gentes de lingua vestra Latinitatis conscios possitis habere Clericos & Sacerdotes.

Etiam ex numero Sacramentorum liquet, S. Othonem, & quos instruxit, nec Calvinistas, nec Lutheristas fuisse.

Ista igitur septem Sacramenta, quæ iterum vestri causa numerare libet, id est, Baptismum, Confirmationem, Infirmorum unctionem, Eucharistiam, Lapsorum reconciliationem, Coniugium & Ordines per nos humiles suos paranymphos celestis sponsus in arrham vera dilectionis vobis, Ecclesie ac spõse sue transmittere dignatus est. Quapropter omni honore ac reuerentia eadem Sacramenta seruate, diligite, & veneramini; docete ea filios vestros, ut memoriter teneant, & diligenter obseruent in omnes generationes. Ecce habetis Ecclesiam, habetis sacerdotem, de his omnibus, & quacung, sunt necessaria vobis, abundantius vos instruere scientem. Ipsum ergo, sicut me audietis, honorantes & amantes eum, & quacung, vobis dixerit, facientes. Et nunc ego vado, iterum citò reuersurus ad vos: Valet in

Domino.



De